POEMATA QUÆDAM

Nobiliſſimi, Illuſtriſſimique

JOANNIS

Marchionis NORMANBIÆ,

Latine reddita à *Gulielmo Hogæo.*

Horum Poëmatum nomina hæc ſunt.

I. *Sacrarium Mortis.*

II. *Pictura ad Exemplar Bathilli in Anacreonte.*

III. *Amaſia Vagabunda.*

IV. *O D E.*

Sheffield (John)
Duke of B
K

LONDINI:

Anno Domini MDCXCV.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

A D

Nobiliſſimum, Illuſtriſſimumque

JOANNEM

Marchionem Normanbiæ.

Mireris fortaſſe meam hanc audaciam, Vir Nobiliſſime, quod ego præclaris his tuis carminibus in Latinum Vertendis, manum admoliri non pertimuerim. Sed variis cauſis, tanquam ſtimulis acutiſſimis ad hoc audendum incitabar. Primùm enim, tantus eſt tuorum carminum nitor, tanta ſuavitas & elegantia, tam felix in exquiſitis metaphoris audacia, ut omnes tam veterum quam recentium Poëtarum virtutes in te unum confluxiſſe videantur. Idcircò hunc ſermonis tui nitorem, elegantiam & ſuavitatem imitari tentavi, quanquam aſſequi minimè ſperabam. Hoc certè mihi imitando videor aſſecutus, ut tuarum Sententiarum ardore aliquando ſim inflammatus, & ſupra meipſum evectus, ut cum

Æneæ---dextræ ſe parvus Julius
Implicuit, ſequitúrque patrem non paſſibus æquis.

Paterna manu tractus velociùs quam pro ſuis viribus feſtinabat. Ac propterea te obſecro & obteſtor; Vir Nobiliſſime, ut quod ingenii in hoc opere meo vides deſiderari, tuo favore & benevolentia ſuppleatur. Sub tuæ clientelæ umbram confugio, ut hac confiſus à malevolorum injuriis defendar. Erant etiam aliæ cauſæ, quæ me ad præclara hæc tua Poëmata in Latinum vertenda incitabant: Nam tu me tot liberalitatis & humanitatis officiis proſecutus es, ut hanc gratitudinis meæ teſtificandæ occaſionem cupidè ſim amplexatus. Itaque quando nihil, quod omni ex parte meum erat, te dignum, quod tibi offerrem, habui, tibi id, quod tuum ipſius eſt, offerendum judicavi. Quapropter, oro te, Vir præſtantiſſime, hoc meæ gratitudinis & amoris teſtimonium boni conſulas,

Sum ſervus tibi devinctiſſimus

G. HOGÆUS.

A D

AD

Nobiliſſimum, Illuſtriſſimúmque MARCHIONEM NORMANBIÆ,

Literatorum decus, Sæculi ſui Miraraculum & Ornamentum, & Anglicanæ Nobilitatis Coryphæum.

ἘΓΚΩΜΙΆΣΤΙΚΟΝ

VIR præclare, quibus Cœlo te laudibus æquem?
Tu magnis generatus avis, tranſcendis avorum
Omne genus, titulos & primæ ſtirpis honores
Ante venis: & luce tui ſplendoris obumbras,
Lumina noctivagas veluti Titania flammas.
Nam quanquam excelsa deducis origine nomen,
Nobilitáſque tuas comitata eſt priſtina cunas,
Non animi depreſſa latet ſub ſanguine virtus
Clara tui, at duplicem generi ſuperaddit honorem.
Magnum atque eximium eſt, procerum te ſemine cretum
Eſſe, atque a veterum non degenerare parentum (eſt
Stemmate, majus adhuc; tibi vero hæc maxima laudum
Præradiare novo ſeriem fulgore vetuſtam.
Quantula ſunt, collata tuis virtutibus, arvi

Jugera

Jugere vaſta, domus altæ, & de marmore villæ
Magnificæ, ignotumque argenti pondus, & auri
A proavis tranſmiſſa tuis? Hæc magna fatemur
Eſſe quidem, ſed ſunt aliis communia, verum
Hinc proprius tibi ſurgit honos, multóque refulget
Clarior, in tanto ſortis ſplendore ſecundæ
Quod moderare tibi, & quanto virtutibus omnes
Præcellas alios, tanto ſubmiſſius æquo
Te geris in cunctos, animo nec durus egenum
Reſpuis, aut tenuis queſtum aſpernare clientis,
Sed bonus & facilis miſerorum, dura ferentum,
Corda levas, pandíſque manum, largéque miniſtras,
Frigora quo durámque famem depellere poſſint
Invalidíque ſenes, puerique parentibus orbi,
Et viduæ, auxilióque carens miſerabilis hoſpes.
Quis laudes numerare tuas, niſi poſſit arenam
Littoris, & numero Stellas comprendere certo?
Hæc tamen haud minima eſt inter tot millia laudum,
Pierii quod prima chori ſis gloria, vates
Exæquans veteres, longè antevolánſque recentes,
Ecce Albioniam Maro, Naſo, & flaccus in oram
Mæoniúſque ſenex ſuperas venère ſub auras,
Et Statuêre tuo ſibi firmam in pectore ſedem,
Inſignemque tuo capiti impoſuêre coronam.
Unde per Angligenas latè celeberrimus omnes
Nomen habes, famæque tuæ maris æquora tranſit
Gloria, & in varias pennâ volat alite terras.
Hoc facit, ut lympham Aöniam quicunque labellis

Attigit,

Attigit, exultans animo, tibi fausta precetur,
Et cadat ante pedes patronum & lætus adoret,
Et tua Pieriis conspergat limina sertis.
O cujus titulis aliquid superaddit avitis,
Longè at laude tuâ inferius Normanbia nomen,
Vive, precor, Sæclique tui, patriæque voluptas,
Atque decus, cunctisque bonis tua vita redundans,
Tempora Nestoreæ superet longæva senectæ,
Et post fata poli radiantia sydera scandas.

In Testimonium Gratudinis Scripsit

G. HOGÆUS.

Sacra-

SACRARIUM MORTIS,

Quod Nobiliſſimus, Illuſtriſſimuſque Marchio NORMANBIÆ, *Anglicano carmine, admirabili cum ingenii dexteritate concinnavit, Latine Redditum.*

EST locus extremis Scythiæ glacialis in oris,
Phœbus ubi invitus caput æthera tollit in altum,
Abſconditque ſuos lachrymarum in flumine vultus.
Atque ubi pallentes haud unquam diſcutit umbras,
Nec cum invectus equis altum petit æthera, nec cum
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum.
Hic deſerta jacet, nullis habitata colonis,
Inſula, lenis ubi Zephyrus non dulce ſuſurrat,
Blanda nec æſtivi ridet clementia cœli.
Exit in innumeras hic Sylva annoſa cupreſſos,
Quas nemo videt unquam oculo, niſi corde tremiſcens.
Brachia nuda comis, omníque carentia ſucco
Sylva hæc vaſta gerit; lævarum hic denſa volucrum
Agmina nidificant, dirum mortalibus omen.
Sola venena, aliis tellus gerit invia plantis
Atque hic ſemper hyems totum ſe extendit in annum.
Mille ſepulchra tegunt ſpatioſi horrentia campi
Jugera, & innumeris ſanguis fluit undique rivis.
Oſſibus humanis illi atque cadevere multo

Turbati, non lene ſonant, dulcique feruntur
Murmure, ſed querulo ſtrepitant per prona ſuſurro.
Hac vaſtâ in regione ſitum eſt venerabile Templum
Æquævum terrarum orbi, cui jurat miniſtrat.
Forma rotunda, fores bis binæ ex ære rigentes
Diſtinguunt hominum omne genus; ſic fata Deûm rex
Sortitur, volvíque vices, is vertitur ordo.
Agminibus denſis pariter glomerantur in illas
Cum ſenibus juvenes, miſti cum plebe Tyranni.
Luctificúſque dolor ſimul atque annoſa ſenectus,
Quæ duo præ cunctis aliis miſeranda gemiſcit
Gens hominum, ſacris foribus noctéſque diéſque
Advigilant pullis in veſtibus; hujus opaci
Mænia ſacra loci pullo velantur amictu,
Et ferugineæ, factæ picis unguine, tædæ
Diffundunt nigri ſpatioſa volumina fumi.
Eſt monſtrum rationis inops, & lumine caſſum,
Diva regens tenebras Sceptrumque hoc noctis opacæ.
Vitalis quibus hauſtus ineſt, dominatur in omnes,
Triſtis, acerba, ferox, mortémque hanc nomine dicunt.
Virgo oculis quæ viſa fuit pulcherrima noſtris,
Huic eſt luctificæ nuper data victima divæ.
Qua ſtetit era, loci pulchræ de cæde rubeſcunt
Almeriæ, quam tunc animo miſeratus Orontes,
Cujus amor bene notus erat, nullumque latebat,
Quiſquis ubique ſuam rumoribus applicat aurem,
Talia dicta dedit lachrymoſi in limine Templi:
O Dea, quæ longâ læſum rubigine Sceptrum,
Quod mortale genus metuunt horréntque, coruſcas;
Quæ privata oculis, nullo diſcrimine quenquam
Reſpicis, & pedibus laurum & Diademata calcas
O tu, fruſtra hominum cui gens obſiſtere tentat,
Quorum nemo tuam non ſpargit ſanguine dextram:
Omnia quæ nitidum ſpectantia lumina Phœbum
Claudis in æternas non exorabilis umbras:
Pande aures, animumque meo jam adverte dolori,

Cui tua ſola potens manus eſt afferre levamen
Non ideo ſupplex venio, ut mihi longiùs ævum
Producas, miſeræ potius mihi ſtamina vitæ
Rumpe citò, & gremio terræ me conde ſub alto,
Me, quem infeſta premunt adverſo Sydera curſu.
Ut procul a nitidi radiis & luce diei
Submovear, cunctíque aliiis cum lumine demptis
Solus amor mecum maneat. Tu dulcia mæſtis
Suppeditas animis ſolatia, triſtibus una
Spiritibus præbens requiem, finemque dolorum,
Ducis in Elyſii tranquilla ſilentia regni.
Sponte tuis jugulum cultris ego præbeo noſtrum :
Sacra oblata tibi, quamvis indigna, libenter,
Accipe. Legum alii immemores Acherontis avari
Plerique ante tuas non ſponte, at viribus aras
Adducti adveniunt. Moribundæ murmura vocis,
Tabida per medios diſperſa cadavera campos,
Atque ſenum juvenúmque ſimul matrúmque nurúmque
Oſſibus albentes agri, gladiique recenti
Sanguine fumantes, capita a cervice reciſa,
Divulſique humeris paſſim ſuper arva lacerti,
Atque illata rogis recidivo fomite ſtructis
Corpora, & horrifici gemitus in limine lethi;
Hæc genus humanum tragicæ ſpectacula ſcenæ
Terrificant, vanáque animos formidine turbant.
Donec vi rapitur, quod ſponte remittere juſtum eſt.
Invitoſque jubent parere, quod imperat æther,
Hinc fit, ut hi jaceant inhonori in marmore buſti.
Ante tuos fundunt turpiſſima murmura vultus,
Dumque unam metuunt, centum pavor horridus illos
Mortibus excruciat, tot ſeſe vertit in ora.
Sacrilegóque tuas violant in pectore flammas,
Fitque homicida, aliter qui debuit eſſe Sacerdos.
Conſceleratque manus Naturæ vincula rumpens,
Vincula, quæ ætheream retinent in corpore mentem.
In me, quicquid habes, jam collige roboris uſquam,

Protinus, irarúmque omnes effunde procellas
In caput hoc. Terrore fugam haud urgente capeſſam,
Sed placidè expectabo tuæ fatalia dextræ
Vulnera; non mihi membra tremor, non anxia terror
Pectora concutiet, nec tu veniendo querelam
Ore, nec a noſtris lachrymam extorquebis ocellis.
Ne ſpera ſpatiis annoſi temporis ullis,
Quæ plerumque ſolent alios curare dolores,
Sæpe etiam fuerant ſolamen amantibus ægris,
Succeſſu relevare meum non impare morbum
Poſſe. Tuas etenim tam vaſta potentia vires
Natura, arſque tuas ſuperat. Nil corda dolore
Fracta levare poteſt, niſi certæ occumbere morti.
Quoque magis pateat, noſtri quam vulnera fati
Triſtia ſint medicæ plane impatientia dextræ,
Aurem animúmque ſimul miſeris adverte querelis.
Inter fœmineæ mille agmina dulcia turbæ,
Quæ gremio fovet alma ſuo Lutetia, cunctas
Quæ tantum una alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi,
Almeria una alias tantum formoſa puellas
Vincit, & eximiæ tranſcendit munere formæ.
Et gaviſa fuit nitidis ex ejus ocellis
Tota juventa avidas ſine ſpe ſuccendere flammas.
Colla Heroa ſuis cinxit pro torque catenis,
Et quoties ſervos, toties dedit eſſe tyrannos.
Blandus amor, cujus Domitas ſub jura gemiſcens
Tendo manus, nitidæ faciem hanc ſpectare puellæ
Mî dedit, ante ſuum tetigit quam forma cacumen.
Vultus & ejus adhuc nulli inſidiata venuſtas
Me domito, ſe poſſe alios ſibi ſubdere cunctos
Pro certo didicit. Poſtquam mihi vulnera fecit,
Pectora cuncta ſuis potuit tranſmittere telis.
Et gemitus a corde meos expreſſit ocellis
Illa ſuis, niveos lachrymarum & rore lacertos
Ejus inundando vectigal dulce rependi.

Ac velut ante alios ſolvi ſolennia cunctos
Vota illi, & ſacris calefeci altaria flammis,
Sic mea corda ſuis, inter tot ubique gementum
Millia Nympha fuit tantum dignata catenis.
Pondus amoris ego gravidum non tempore longo
Pertuleram, quin ſe ſociam daret illa laboris
Melliflui, atque ſuum concretum frigore pectus
Paſſa eſt illa meas ſenſim diſſolvere flammas.
Suſpiránſque, imóque trahens a pectore vocem
Nectaream, illa meos lenit ſolando dolores,
Devinctúmque ſuis me molliter illa catenis
Suſtentat, placidáque manu caput erigit ægrum.
Proſequitúrque meas lachrymis miſerata querelas,
Argutíſque mihi, mihi ſoli arridet ocellis.
Communes paritur mecum ſpes atque dolores
Illa habuit: quæcunque animo ſpes addita noſtro eſt,
Lætitiam facit illa ſuam, quæcunque timebam,
Plus animo pavet illa ſuo, plus illa tremiſcit.
Mutua cura duos, & amor Socialis habebat,
Et pariter rapidis torremur viſcera flammis.
Ehen mens nimium cuſtos, nimiumque fidelis,
Illarum, tibi quas ſoleo concredere, rerum.
En age, falle tuum Dominum, concedo libenter
Ipſe tibi hanc veniam: blandos illius amores
Pelle, nec illa meis langueſcat preſſa lacertis.
Gaudia priſca novi jam ſunt fomenta doloris,
Fac, mihi, felices videantur vanida noctes
Somnia; pelle animo procul hæc ſpectacula noſtro
Amiſſis miſeri lacerantia pectus amantis
Delitiis, horúmque loco, cum munere formæ
Eximiæ ſubeat faſtoſa ſuperbia vultus,
Si mihi tu non Sæva velis, velit illa videri;
Utque aliquâ releves hoc inſanabile vulnus
Blanda minus, vel pulchra minus de ſe illa videndam.
Sed fruſtra miſeras tali ſolamine curas.
Heu fruſtra relevare paro, non altera viſa eſt

Pulchrior aut miſerum melius dilexit amantem
Nulla repulſa meum gelidâ perfuderat ignem.
Et quoſcunque meo gemitus a corde profudi,
Almeria alma ſuo hos gremio mea nympha recepit.
Mille inter motus animi, mortalibus ægris
Qui peperêre necem, tantummodo pectora nobis
Gaudium & acer amor ſtimulis pupugere cruentis,
Palpavere meos mirâ dulcedine ſenſus
Mille voluptates, noſtríque ut fervor amoris,
Haud minimæ potuêre pati intervalla quietis.
Sed breve durarunt ſpatium, ceu nocte ſoporâ
Vanida cum implacidas ludunt inſomnia curas.
Illius attonitos hominum defixit ocellos
Vultus, ut excelſo volitat cum ex æthere fulgur,
Disjicit atque nigras ſubito fulgore tenebras.
Pauliſper micat, & flammentia lumina fundit,
Móxque iterum tenuem ex oculis vaneſcit in auram,
Fulminis inde fragor crepat, illuſque tremendum
Frangere nulla poteſt vis aut lenire furorem.
O quoties lux hæc, radiantia fulgura jactans,
Genti hominum ſubiti tantum eſt anteambulo buſti !
Vix jam cœpit amor dulcem producere fructum,
(Hæc bene compenſat merces pretioſa dolores,
Præteritóſque metus, dubiæque pericula vitæ)
Mox invaſit eam ſævæ inclementia febris,
Et fabricam, quâ nil toto formoſius orbe eſt,
Impulit, illa cadit ſubitâ convulſa ruinâ.
Quam non e ſtabili, tremulo ſed culmine cuncta
Deſpicimus, ſtamuſque ſuper titubantia fulti !
Dura etiam molli Saxa innituntur arenæ.
Legibus his fati reges & regna reguntur ;
Nil oriens caret interitu, totumque per Orbem
Omnis ubiquæ ſuis eſt vita coërcita metis.
Hoſtia nempe damur gentes ſub utroque jacentes
Axe poli ſpatiis ævi ; immedicabile fatum
Sic voluit. Genus humanum & ſimul integra mundi

Fabrica ſuccumbent ævo, in cinerémque redibunt.
Jam vires teneræ incipiunt langueſcere nymphæ,
Sed tamen a queſtu cohibet patientia linguam,
Sicut in arce tenens generoſo in pectore ſedem,
Donec eam tandem dolor intolerabilis urget
Cedere. Capta ſuæ febris dulcedine prædæ
Dum venas ſeſe multum oblectata per omnes
Inſinuat, Fato hæc Semeles cadit, obruta flammis
Forma decora perit circumſilientibus illam.
Langueſcit decor ille prior, jam in flore juventæ
Qui nituit, ceu miſta rubent ubi lilia multâ
Alba roſâ, tales virgo dabat ore colores.
Illa cutis vincens nitidi radiantia Phœbi
Lumina, quæ Phœbo æquævos durare per annos
Digna fuit, mutat veterem pallore nitorem,
Atque oculi jaculis ſoliti transfigere certis
Ferrea corda jacent, flammæque ac tela quieſcunt.
Hæc duo jam lento volvuntur Sydera motu:
Morbus atrox blandi Solio conſedit amoris.
Et febris magis atque magis violenter in illam
Ingruit: hanc miſeris perſentit tabida membris,
Hanc linguâ queritur. Modò quæ tot amantibus ægris
Torva fuit, gemitus dolor illi extorquet, ut illis
Sævus amor, ſed ſpretus erat tum cauſa gemendi.
Heu num luctiſonis rumpens ululatibus auras,
Cor mihi tranſadigit, ſpemque omnem excludere cogit.
Hinc mea damna dolens, hominesque deoſque laceſſo
Queſtibus, atque dolore furens contraria volvo
Mentis inops, eademque placent, ſordéntque viciſſim.
Lingua & corda mihi in longè diverſa feruntur,
Toxica corda vomunt in Sydera, fundit inanes
Ad ſuperos mea lingua preces; ad opémque ferendam
Voce imploro Deos, animo tamen intus eoſdem
Devoveo, facioque nefas pietate remiſtum.
Sed tamen una animum res una ante omnia noſtrum
Sollicitat, me ſævus amor ſe abſcondere cogit,

Et celare gravem mendaci fronte dolorem.
Et lachrymas torrentis aquæ de more ruentes
Siſtere, & in falſas vultum vocemque figuras
Fingere; & in mediis imitor tranquilla procellis.
Spem ſimulo, cum ſpes ſupereſt mihi nulla, dolorem
Diſſimulo, quanquam ipſe mori dolor urget acerbus.
Tempore verò oculum longo quis poſſit amantem
Fallere, vel dominæ lachrymis non uvidus ullis
Vultus examines, oculoſque in morte natantes
Aſpicere? ut propius propiſque immane perilum
Viderat acer amor, fictæ ſimulamina formæ
Tum fugiunt; tum corda gemunt, tum lumina denſas
Effundunt lachrymas: animum violentius ardor
Incitat, & ſævum prohibet frænare dolorem.
Nymyha afflicta meis lachrymas obſervat ocellis
Decidere, & gemitus effundi pectore ab imo
Luctiſonos: hæc eſſe videt manifeſta timoris
Signa mei: lethique animo præſaga futuri,
In vultu ſua fata meo lugente legabat.
Tunc tormenta meum miſerè cruciantia pectus
Sentit, & ipſa ſuum pœne eſt oblita dolorem,
Dum tamen illius, noſtri fuit una doloris
Cauſa, dolor. Patienter onus portamus uterque
Alterius, mors illius mihi cauſa timendi eſt,
Sed dolet illa meum, mortis ſecura, timorem.
Spicula fortunæ quamvis patiamur acerbæ,
Solus noſtra ſuis penetravit pectora telis
Fidus amor. Noſtros dum febris dira timores
Ridet, & a gemitu, lachrymiſque immanior iram
Incitat illa ſuam, vaníque cupidine voti
Haud ſecus ac vento atque oleo nos paſcimus ignem
Funereum, & rapide vires ſuperaddimus Ætnæ.
Almeria indiciis fati ut venientis apertis
Sentit in æternam jam jam ſua lumina noctem
Claudenda, atque ſuis æterna repagula labris
Imponenda, manu noſtram trepidante præhendit

Illa manum, lachrymis effertque hæc verba profuſis,
Verba infirma, meas vix pervenientia ad aures.
In vultu moriente dolor ſermonis adinſtar
Obtinet, & gemitus funguntur munere vocum
En abiit, dolor hic, litem natura remittit,
Te dominâ, ſed me vitali lumine privans.
En morior, ſed cum moriar tua, me licet atra
Auferat hora, meum pariter non tollit amorem.
Mens memor uſque tui, mihi tu decus & dolor ingens
Invida fata licet pugnent adverſa, manebit.
Sors mea dura negat verum eſſe hoc, dulcis Orontes,
Quod, fugiente anima, ſpes deficit ultima noſtri.
Mollia cuncta fugam rapuere a pectore noſtro,
Sed ſupereſt tamen unus amor, ſpes mortua cum ſit.
Fato animam concedo meam, ſed amoris, Orontes,
Mentem animumque tui memorem, licet obruta lethe
Cætera cuncta tegat tenebroſa in nocte, reſervo.
Robore deficiente, mei magis ardet amoris
Vivida flamma ; meæ extinguit quæ lumina vitæ
Mors truculenta meos duplicátque augétque calores ;
Hi remanent, quamvis hinc ipſa recedere cogor.
Tollit amatorem mihi mors, non tollit amorem.
Cum gemitu vox illa gravi radiantia ſcandit
Protinus aſtra poli, Cœlo ceu ſæpe refixa
Tranſcurrunt, crinemque volantia ſydera ducunt.
Nympha ſuis ſpoliata bonis, & frigida, amantis
Concidit in miſeros, animâ fugiente, lacertos.
Illi autem auxilium quoniam mors ſæva negavit,
Luctu mortis iter minimè ſibi pandere cuiquam eſt.
O dea, quæ noſtri facta es jam conſcia fati,
Parce mihi lachrymas, noſtrum tibi ſume cruorem.
Hic mihi, quæſo, meas liceat finire querelas,
Cætera dat ſpectantum oculis in lumine claro
Conſpicienda dolor. Te judice, tot mala paſſus,

Auxlliúmne tuæ jam debeo, poſcere dextræ ?
Quod vivam, neque adhuc homines lucemque relinquam,
Ah pudet, & noſtris cauſa eſt juſtiſſima votis.
O tu ſpes mea ſola veni, quocunque tremendum
Ferſque referſque pedem populos formidine vultus
Terrificas, ſonitúmque tui vel nominis horrent.
Irrue, méque tuis poſcentem trajice telis.
Non opus eſt talis jaculi mihi vulnere, quo tu
Regibus invitis Sceptra & Diademeta tollis.
Vulnere noſtra poteſt minimo jam vita reſolvi,
Sponte parata fugæ & vacuas volitare ſub umbras.
Sed lachrymis precibuſque meis cum ſurda reſiſtas,
Te prohibente, meam experiar dimittere vitam.

Ejuſdem

EJUSDEM

NOBILISSIMI AUTORIS

Carmen, cui Titulus

PICTURA

Ad Exemplar Bathilli in Anacreonte.

O Adulator pariter puellis
Blandiens cunctis, age, ſiquid artis
Nunc habes, vultum calamoque formam
Pinge ſtupendum,
Pinge formoſæ ſpeciem puellæ,
Quam tuâ neſcis ſuperare linguâ,
Nec poteſt major, melior ve reddi
Laudibus ullis.
Ne roges ut ſe tibi det videndam,
Hanc tuis longè removeri ocellis
Præſtat. En Pulchræ mihi jam paranti
Dicere Nymphæ
Inclytas laudes adhibere tutò
Vix tuas aures poteris. Poteſtas
Quanta ſit, virtus, vigor, & decoræ
Gratia formæ,
Ipſe non parvo didici periclo.
Hanc jocus circumvolat & cupido,
Hujus ignitas medio recipi in
Corde Sagittas

Heu dolet vitæ ſpatio anteactæ
Cœliam nullis celebraſſe Muſis,
At mihi quæ nunc ſupereſt, beatam
Reddere vitam
Illa, vel contra poterit. Beatus,
Si ſavet, vivam, at miſerè exigetur
Quod manet lucis, mihi in priorem
Præſtet amorem.
Incipe a pulchris oculis, ab illis
Lineas primas age duc ocellis,
Qui ſibi poſſent ſuperûm alligare
Pectora divûm.
Qualiter pulchri radiant ocelli !
Queis amatorem feriunt ſagittis !
Non tamen ſolùm decor eniteſcat
Mirus in illis ;
Aſt amor mirum comitans decorem,
Fulguris blandi jaculetur ignes,
Languidi aſpectu relevet benigno
Pectus amantis.
Proximè frontem, teneraſque nares
Adde cum rubris etiam labellis,
(Intus ut dentes nivei pateſcant)
Semiadapertis.
Hinc fluat dulci ambroſiâ remiſtus
Spiritus, blandæ & Charitum choreæ,
Et lepor vocum, paritérque ſenſus
Attrahat omnes.
At roſas cana nive temperatas
Quis poteſt dignis celebrare verbis ?
Quis poteſt formam faciemque doctâ
Ducere dextrâ ?
Ars rudis viſa eſt ſibi, viribuſque
Nuda, formoſos imitando vultus
Illius, vanum quoties reſumpſit
Victa laborem.

Tantus

Tantus in vultu vigor eſt nitenti,
Tantus in greſſu decor & venuſtas,
Tanta Majeſtas comtiatur actus
Illius omnes.
Hujus ut ſi tu decoris ſtupendi
Forſitan partem minimam aſſequaris,
Proximos illi mereare juſtæ
Laudis honores.
Colla tunc, pectus ſimul & capillos,
Tunc & illius------ mea ſed redundat
Laudibus virgo, mihi quas loquelis
Prodere nullis
Expedit. Quo nunc igitur? Sed, ecce,
Eminet veſtrâ Venus alma dextrâ
Picta, quam vultu ſpecioſa, cunctis
Vivida membris!
Hic tamen ſi quid videas & illic
Corrigi dignum, huc adhibe laborem,
Fiat ut formâ radiante magnis
Æmula divis.
Veſtra ſic noſtram venerem referret,
Quæ tuo ſi fors oculo pateret,
Vera fulgeret Cytheræa veſtris
Picta tabellis.

EJUS.

EJUSDEM

NOBILISSIMI AUTORIS

Amasia Vagabunda.

NEC bellum, neque pestis atrox grassando creavit
Tot mala, quot laqueis callida Nympha suis.
Sic animos superat blandi dulcedine vultus,
Gestibus est cunctis gratia tanta comes.
Tantus & argutis decor est infusus ocellis,
Ut quævis hominum pectora victa trahat.
Hinc spem concipimus subitò & lactamus inanem,
Dum sibi quisque placet, credula turba sumus,
His lenociniis capimur, captique tenemur,
Interea vinclis illa soluta manet;
Illa soluta manet. Tantum hoc amat, hoc petit unum,
Per mundum ut flammas spargat ubique suas.
At non tantum alios, sed te quoque turpiter ipsam
Decipis insidiis falsa puella tuis.
Tu regnandi avidis faciens assueta tyrannis,
Cogere gentem hominum sub tua jura cupis.
Et vaga tam vastum mavis errare per Orbem,
Quam regimen propriæ dulce tenere domus.
At nunc, Pierio quia sum furiatus ab æstro,
Aurem adhibe dictis, Celia pulchra, meis:
Hora, voluptatem teneri quæ præbet amoris,
Ventosæ laudis sæcula longa præit.
Unicus est melior blandè tractatus amator,
Agmina quam foribus densa repulsa tuis:

Cur

Cur tibi forma nitens, viridiſque indulta juventus,
Primus & in Sexu debiliore decor ?
Tota cupidineis cur ſic armata venenis,
Queis oculos captas, cordaque noſtra liquas ?
Nobis damna paris, tibi commoda nulla redundant,
Et ſine fruge places, ſi tibi deſit amor.

EJUSDEM

NOBILLISSIMI AUTORIS

ODE.

CArpeſerat priſcis mea mens diebus
Otio Salvam in placido quietem,
Turbidis nullo exagitante curis
Corda tumultu.
Non furor vecors, gelidusve livor
Morſibus noſtras tacitis medullas
Pungit, aut vano tumefacta turgent
Pectora faſtu.
Tunc mihi felix fueram & beatus
Viſus, at pulchræ facies puellæ
Priſtinam pellit requiem & furentis
Æſtus amoris.
Hinc & ignavam reputo quietem
Eſſe, quæ nullâ veneris ſagittâ
Rumpitur, nunc ſunt odiola priſcæ
Otia vitæ.

Vixe-

Vixeram curis vacuus, ſed Eheu!
Defuit mulcens animum voluptas,
Illius blandis ego dum manebam in-
Tactus ocellis.
Dum voluptates varias miniſtrat
Nympha, divorum dape ſuaviores,
Mille dive xant animum paventem
Anxietates.
Hos tamen flocci facio dolores,
Sic me amor blandis retinet catenis;
Vita mors eſſet mihi, ſi decoris
Ejus in ulnis.

F I N I S.